

persoluant et deponant. Item, si aliqui seruientes sub eodem castro edificia facere, et in medio eorum commorari uoluerint, tum ad eandem libertatem sicut ciues et hospites ipsius libere ville nostre descendant, et in eadem libertate commorentur, et totum onus cum eiusdem ciuibus et hospitibus portare teneantur. Item, Castellanus vnus et non plures eis constituemus, et volumus, quod Castellanus noster nunc constitutus et in futurum constituendus, contra hanc libertatem per nos gratiose eis factam, eosdem non audeat et non presumat molestare vel aliquialiter pregrauare. Datum Zagrabie feria quinta proxima ante Dominicam Oculi, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo septimo.

(*Exstant confirmatoriae litterae Mathiae I. Regis a. 1489, Johannis Corvini Bani et Ducis a. 1495, Beatricis Comitissae de Frangepanibus a. 1506., Georgii Marchionis Brandenburgensis a. 1511., Petri Keglević a. 1534, Lucae et Michaelis Sekel de Kewend a. 1547 et 1577., Mathiae II. Regis a. 1588. datae.*)

Originale in Archivio oppidi Krapina.

LXXXIX.

Anno 1349. Zagrabiae.

Loci inter Savum et Dravum, in quibus tributa injusto modo exigebantur.

Magnifico viro Domino Nicolao, tocius Sclavonie et Croatiae Bano, Capitulum Zagrabienſis Ecclesie salutem et orationes pro eo ad Dominum. Noveritis nos vestras recepisse litteras in hec verba: Viris discretis et honestis Capitulo Zagrabienſis Ecclesie, amicis suis reverendis, Nicolaus tocius Sclavonie et Croatiae Banus amicitiam paratam cum honore. Conqueruntur nobis universi Nobiles Regni Sclavonie inter Dravam et Zavam existentes, quod quam plurima indebita tributa in medio ipsorum tam tempore aliorum Banorum predecessorum nostrorum, quam nostro, facta fuissent et incoata, propter quod non modicam iniuriam seu dampnum paterentur, unde, quia nostro Banatui incumbit officio, ut nobilibus regni de necessitate ipsorum provideamus remedio opportuno, volentes ipsos alleviare, amicitiam vestram presentibus petimus affectuose, quatenus unum ex vobis virum idoneum, una cum magistro Benedicto de Kalanda, Castellano nostro de minori Kemlek, et Comite de Morovcha, in medium universorum nobilium regni Sclavonie pro testimonio transmittatis, qui sciant et inquirent de premissis ab omnibus hominibus, quibus decet et licet, omnimodam veritatem, et post hec, prout vobis veritas premissorum constiterit, nobis amicabiliter rescribatis. Datum Zagrabie feria quarta post festum beati Marci Evangeliste. Anno Domini Millesimo